

9
REGIVS VIRGINEVS QVE CAMPI FLOS,
DEVS IN CARNE;¹⁰²
A NAZARETH FLORIDVS
PER DUODECEM PROPOSITIONES EXPLICATUS;
REGI FLORVM
LILIO PACIANO,
ILLVSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI
DOMINI DOMINI

CASIMIRI PAC
DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA
EPISCOPI SAMOGITIÆ
VILNENSIS, GERANONENSIS PRÆPOSITI &c. &c.
per dilputatē pro prima Laurea Theologica

VLADISLAVM
NARMVNTH

AA. LL. & Philosophiæ Magistrum,
Summi Pontificis Alumnum,

OBLATVS.

PRÆSIDE

R. P. FRANCISCO

KVCEVICZ SOC: IESV

S. Theol. Doct. eiusdēq; Professore ordinario,

IN ALMA VNIVERSITATE

VILNENSI SOCIETATIS IESV

Vilnæ Typis Acad. Soc: IESU. Anno Domini 1679. Mense Iunio. Dic. 26.

Habes Florem ex Virga Iesse, super quem tota Di-
vini Spiritûs gratia requievit; Florem incorruptum,
immarcescibilē, sempiternū. TERTULLIANUS

Lib. de Corona Militis. Cap. 15.

96507



Br 309449-10

I L L V S T R I S S I M E A C
 R E V E R E N D I S S I M E D O M I N E
 D O M I N E M E C A E N A S A M P L I S S I M E .

AD floridas gentilitio Lilio tuas manus, Regium, Virgineumq; à florido Nazaretho CAMPI FLOREM defero. Illustrissime & Reverendissime Præsul, Mecænas ac Patrone. Ipse vlt:ò Flos hic, in tuis manibus, veluti areolis, virtute hortulanâ elaboratis, voluit plantari: vt alioqui nullius incrementi capax, quia Divinâ VERBI Subsistentiâ perfectus, adeoq; semper maximus, apud te tamen incrementum decoris acciperet: apud quem ipse DEUS Maximus, ad honoris cultusq; sui staturam, novam in dies magnitudinem videt accrescere. Et verò Nazareus hic Flos, Regio Virgineoq; Sangvine stirpescens, petebat pridem Domesticum tuum hortum: in quo extra quæstionem Pœtæ, INSCRIPTI NOMINA REGUM NASCUNTUR FLORES. Amavit nimirum sibi cōcolorē Paciani Lilij candorē, CANDIDUS & RUBICUNDUS QVI PASCI- TUR INTER LILIA, ipseq; vult vocari & esse LILIUM CON- VALLIUM. Suspexit plantationē huius horti, in Coronas Sertaq; Ecclesiæ, & Patriæ triumphalia benè maturam, ideò ipse PACIFI- CUS inter Pacios flores reponi optavit. Vbi enim commodius Flos noster orbi fulciendo natus reponeretur? quàm in illo vireto, cuius solidis, in clavas, & Pastorales Virgas firmatis, orbis Sarmaticus FULCITUR FLORIBUS. Profectò habet quod suspiciat, & quod amet in Paciano Lilieto Sarmatia: in quo & ad sacras Vittas Infulasq; pro Aris faciendas, & adserta triumphalia pro armis con- texenda, aptissimum semper invenit florilegium. Adolescunt hîc stir- pes è stirpibus, honores implantantur honoribus, fascis è fascibus crescunt, Liliaq; spondent ver æternum; quibus excolendis amæ- nitas cum perennitate se impendit. A tuis certè manibus Coelum plu- rima Sertilegia semper auspiciatur; in quibus liberalitatem & muni- ficentiam, gratias & benedictionem Pontificiam, ad pulchra tibi sub- iectorum

lectorum Capita Coronamenta videt parari. Tua enim propria est illa plantatio, quâ planè ex quolibet trunco Mercuriû facturus, plurimis beneficia inseris; paruarum, humiliq; repentium fortunarum incrementum facis, liberaliter munifici Floris tui folia ad Patrocinium explicas; in quibus grata beneficiorum tuorum recordatio, non aliqua tantùm folia rectè factis tuis exarabit; sed integros olim fastos virtuti tuæ inscribet. Ad hunc igitur Theologicum, quia Humano-Divinum Florem tuum, meus Theologicus Nazareus Flos pertinebat: ut cum eo in vnum Virtutis, honorisq; fascem, pulchro pietatis vinculo colligaretur. In hoc Flore perpetuum annorû Ver, serenâq; perennium fortunarum æstatem accipe; Et vota mea tibi consecrata pronamq; in servitia frontem, Pontificiæ benedictioni, atq; beneficis plantis tuis subiectam, patrono tuo Flore corona.

Illustrissimæ ac Reverendissimæ

Dominationis Vestræ

Obsèquessimus ac Brevissimus Devotus

Clientis

VLADISLAVS NARMVNTL

Necessesse fuit Verbum Divinum incarnari ex suppositione condignæ satisfactionis pro peccato mortali Theologico in ratione offensæ Personalis sive formalis. Pro hoc enim peccato nulla pura creatura, quantacunque sanctitate ac charitate Dei prædita, potuit condignam satisfactionem exhibere, si namq; potuisset. Sequitur nullam fuisse SS. PP. argumentationem contra Nestorium, Arrium, cæterosq; hæreticos, qui ex vna parte concedebant (& quidem bene) Christum pro peccatis totius generis humani condignè satisfecisse, sed ex altera parte pessimè negabant Christum esse Deum, contra quos in hunc modum argumentabantur PP. Christus satisfecit condignè pro peccato naturæ humanæ, quia Christus est Deus. Ergo illâ universalè propositionem (Nulla pura creatura potest condignè satisfacere pro peccato mortali Theologico) supposuerunt tanquam certam: plura in hanc rem SS. PP. testimonia congerunt passim Authores. hic duo sufficient. S. Aug. in Euchir. G. 108. *Nequè per ipsum liberarimur Mediatorem Hominem Christum, nisi esset Deus.* S. Leonis serm. 12. de Passione: *quia ergo primi hominis universa posteritas uno simul vulnere sauciata correptat nulla SS. merita conditionem poterant illatæ mortis evincere, venit de celo medicus singularis.*

Porro sicut clarum est SS. PP. docuisse, quòd nulla pura creatura satisfacere possit pro peccato mortali Theologico, ita rationem solidam huius doctrinæ adferre difficile est. hæc tamen præ cæteris videtur probabilior, quòd nimirum peccatum mortale Theologicum sit infinitum simpliciter in ratione offensæ, quantitas enim offensæ in peccato mortali non desumitur nisi ex duplici capite.

Primum caput est inæqualitas inter bonum infinitum, quòd postponitur, & bonum finitum, quòd præponitur, patet hoc exemplis obvijs in humanis tunc enim dicitur Petrus offendere Regem, quando cum postponit rustico, quòd clarè docet S. Th. q. 28. de veritate art. 2. in Corpore. his verbis: *Quicumque rem aliquam digniorem, rei indigniori postponit injuriæ ei facit. & tantò amplius, quantò res est dignior.* Ex quo deduxit peccantis mortaliter offensam contra Deum esse infinitam; per peccatum namq; mortale in affectu peccantis Deus postponitur creaturæ.

Alterum caput est inæqualitas inter Personam offensam & offendentem, ita vt ex vtraque desumatur ratio offensæ. De persona offensa constat paulò supra ex S. Th. de persona offendente: etiam patet in humanis. magis enim offenditur Rex alapam sibi impingenti rustico, quàm Principi, quo posito constat utramque hanc inæqualitatem esse simpliciter infinitam, scilicet tam inæqualitatem inter Deum tanquam bonum infinitum, quòd postponitur bono finito: quàm inæqualitatem inter Deum tanquam Personam offensam & creaturam offendentem siquidem inæqualitas, quæ est inter infinitum & finitum, non potest non esse infinita; ergo offensa Dei quæ est in peccato mortali Theologico. est simpliciter infinita.

Neq; hæc ratio offensæ infinitæ limitari potest ab ijs, quæ finita sūt: qualia sūt, cognitio indifferens, voluntarium liberum. Ratio primi est. Quia cognitio non ingreditur intrinsecè conceptum formalem offensæ sed est tantum conditio necessaria, vt patet in operibus Christi, quæ sunt infiniti valoris, hoc ipso quòd procedant à Persona infinitè Sancta, tametsi cognitio, immò, & ipsa honestas operum Christi sit tantum finita. Deinde sequeretur quòd cognitio illa etiam limitare posset peccatum mortale, ne mereretur pœnam æternam & ne indigeret satisfactione Christi; præterea anima Christi finita limitaret Personalitatem Verbi, ne ab hac redderetur infinitè Sancta & consequenter ne fieret incapax peccati. Ratio secundi patet etiam ex operibus Christi; quæ sive majus sive minus voluntarium liberum adsit, semper sunt infiniti valoris, dummodo adsit, voluntarium sufficiens tanquam conditio necessaria; ita etiam peccatum mortale semper erit infinitum in ratione offensæ dum modo adsit, sufficiens Voluntarium. Cùm enim ratio formalis offensæ. Personalis sit vilitas illa, quam peccator Personæ Divinæ inesse testatur, sequitur quòd licet ipsa testificatio requirat voluntarium perfectum tanquam fundamentum, seu conditionem requisitam ad moralitatem, sive ut actus peccaminosus reddatur aptus ad formalitatem offensæ Personalis recipiendam, tamen maior aut minor perfectio voluntarij; modò attingat essentiam perfecti, sicut non auget aut minuit dignitatem Personæ Divinæ, ita nec auget aut minuit vilitatem, quam testificatur, sed præ-

cise eam testatur vilitatem inesse Personæ Divinæ, quæ inest creaturæ, & inesse creaturæ dignitatem illam, quæ inest Personæ Divinæ, hoc est testatur creaturam esse dignam cui postponatur Deus. Atqui dignitas Personæ Divinæ & vilitas creaturæ est eadem sive illâ testaris actu magis aut minùs perfectè voluntario, modò sit perfectè voluntarius, quia hoc ad perfectam moralitatem requiritur. Ergo magis vel minùs perfectum voluntarium liberum, non limitat rationem offensæ Infiniæ. Ex dictis.

Inferitur rationem formalem infinitudinis in peccato mortali, vt est offensa Dei formalis esse infinitam Personam Divinam contemptam, seu vilifictam & dedignificatam, vnde sequitur etiam ipsum peccatum mortale in ratione offensæ esse simpliciter infinitum. Quia compositum includens intrinsecè & essentialiter formam simpliciter infinitam, est simpliciter infinitum sed peccatum mortale in ratione offensæ, includit Personam offensam simpliciter infinitam. Ergo ipsum est simpliciter infinitum; patet à simili in operibus Christi quæ etiam ex eo sunt infinita in ratione valoris, quia in hac ratione includunt formam simpliciter infinitam, scilicet infinitam, Divini Verbi dignitatem.

Sed nunquid ex eodem principio sequitur primò etiam peccatum veniale esse infinitum, simpliciter in ratione offensæ. Nunquid sequitur secundo hac ratione omnia peccata mortalia esse æqualia quod videtur esse contra scripturas & PP. agentes contra Stoicos & Iovinianum affirmantem peccata omnia esse æqualia? Nunquid sequitur tertio peccatum mortale ratione offensæ infinitæ mereri omnem possibilem pœnam; atq; adeò mereri, ne merita; Christi in satisfactione pro peccato acceptentur, immò mereri ipsius Redemptoris carentiam? Minimè verò hæc sequi ex nostris principijs evincitur Nam quoad Primum, licet peccatum veniale sit offensa Dei, non tamen est offensa gravis sed levis, cum non contrarietur charitati & amicitia Divinæ, ille enim qui venialiter peccat, habet interpretativè, hanc voluntatem; si sciret hoc esse contra amicitiam Dei, non facerem vnde peccatum veniale non impedit, quominùs homo diligat Deum super omnia, & in ipsum referat omnia, quæ sunt in Deum referibilia; ideo ulterius non impedit quominùs homo justus habeat Deum pro ultimo fine habitualiter, & interpretativè. Ratio est quia ante peccatum habet illum pro ultimo fine positive & simpliciter, & per peccatum illum non deserit: ergo etiam peccando habet eundem finem ultimum vnde communiter dicitur, quòd in peccato veniali creatura sit finis ultimus operis non operantis: licet enim peccans venialiter amet creaturam propter quam peccat, ejus tamen amorem non præfert amori Dei, adeoq; non constituit in ea ultimum finem positive sed solam negativè, hoc est amat creaturam, quam non refert actu ad alium finem ultimum.

Quoad secundum distingvenda sunt in peccato formaliter ista duo; scilicet ratio malitiæ, & ratio offensæ: dicitur malitia quatenus est malum naturæ rationalis, cui adversatur; dicitur offensa, quatenus respicit Deum, quem offendit: proinde cum PP. negamus contra Stoicos & Iovinianum peccata esse æqualia in ratione malitiæ: concedimus autem æqualia esse in ratione offensæ Personalis cum offensa Personalis quæ est in peccato mortali, consistat in indivisibili, neq; plus sit ejus intensive in pluribus peccatis, quam in vno, licet plus sit de offensa reali, seu materiali, & etiam de Personali extensive.

Quoad tertium. Concedimus quidem peccatum mortale Theologicum mereri omnem pœnam possibilem, sed negamus possibilem esse hanc pœnam ne scilicet merita Christi acceptentur in satisfactionem pro peccato; Ratio est, quia merita Christi magis intensive & appreciative placent Deo, cum sint actiones dignificatæ à personalitate Verbi, quam sibi displiceat in peccato, qua ratione magis Deo placet sanctitas infinita identificata Verbo quam participata à natura humana Christi, ita vt si alterutram deberet deserere, potiùs hanc, quam illam desereret: atq; ideo peccatum non potest aliquid demereri contra merita Christi, sed potiùs actiones ipsius merentur, vt à peccato non possint superari, cum hoc ipsum sit aliquid præmiù valde æstimabile. Ex quo deducitur etiã quòd idem peccatum non possit mereri carentiam Christi Redemptoris seu vt Incarnatio non existat, cum enim merita Christi mereantur quantum est de se, vt nullum peccatum existat, & aliunde sint majoris efficacitæ & valoris, quam peccatum in ordine ad demerendum, hoc non potest mereri, vt actus

vel merita Christi non existant; quia non potest demereri carentiam existentiae illius rei, quae in merendo est illo efficacior, & meretur carentiam existentiae ejusdem peccati.

II.

105

Christus Dominus satisfecit quidem pro omnibus peccatis humani generis non tantum condignè sed etiam superabundanter; non satisfecit tamen in rigore justitiae commutativae. Pro prima parte conspirant passim scripturae, PP. & Concilia, Ratio autem condignitatis non alia videtur esse, quam infinitus valor, in opera & satisfactiones Christi derivatus ab infinita Personae Operantis dignitate. Ex quo sequitur opera Christi non ideo fuisse infiniti valoris, quia per ea Christus aliquid infinitum per modum obiecti offerebat Deo: nam obiectum etiam infinitum non refundit in actum valorem infinitum, sed tantum illum obiective seu extrinsece terminat; aliàs B. V. oblatio quae Christum Dominum aeterno Patri obrulit, & oblatio sacerdotis, quae eundem nunc offert in sacrificio, essent oblationes infiniti valoris. Quoniam verò valor operum Christi mensuratur infinita Personae operantis dignitate, ideo se extendit, ad omne praemium possibile & excogitabile (intellige quoad sufficientiam & in actu *1^{mo}* non autem de facto quoad efficaciam & in actu *2^{do}*) cum enim Persona praemianda sit dignitatis infinitae, & Filius Dei naturalis, nullum praemium in ratione praemij, etiam alia viuo hypostatica, adaequabit opus valoris infiniti; nam licet adaequetur meritum infinitum à Persona increata, & infinita, data in praemium, entitative & intensive non tamen extensive, formaliter & in ratione praemij. ob eandem rationem, si duae naturae assumptae à Verbo & spiritu S. sua merita obrulissent, Christus e.g. vt Petrus aeger convalesceret, Spiritus S. vt non convalesceret (licet neutra Persona efficaciter posset orare propter summam conformitatem cum voluntate Divina) utraq; Persona, de condigno mereretur, ne altera exaudiretur; quia utriusq; opus est ejusdem efficaciae & valoris, sibiq; oppositum.

Pro *2^{da}* parte ratio est Quia genus humanum per sua peccata nullum debitum rigorosae justitiae contraxit, cum peccata non sint defacto rigorosae injustitiae contra Deum, non enim prohibentur titulo juris proprietatis, sed tantum titulo Jurisdictionis vt est probabile; posita autem hac probabilitate, non apparet vlla ratio asserendi quod Deus sit vsus titulo dominij proprietatis, cum hoc neq; ex ratione naturali neq; ex scripturis aut SS. PP. habeatur. Accedit quod in dubio praesumendum sit, Deum vsus fuisse titulo solius Jurisdictionis, sicut in dubio, an sit positum praecceptum, praesumendum est, non esse positum, cum possessio stet pro libertate. Demum sine solido fundamento, non debent multiplicari circumstantiae peccatorum ne Deus gravius offendatur, & homines gravioribus obstringantur sceleribus. nullum autem est fundamentum dicendi quod Deus prohibeat actiones malas titulo dominij proprietatis, ergo dicendum est, quod eas solum prohibeat titulo Jurisdictionis. Ex quo legitime infertur Christum Dominum non satisfecisse ex rigore justitiae commutativae pro peccatis humani generis, quia intantum satisfecisset, in quantum genus humanum sic debuit satisfecisse; genus humanum non debuit sic satisfecisse, vt probatum est. Ergo nec Christus.

III.

Icet vi praesentis decreti non venisset Christus, nisi Adam peccasset, defacto tamen est caput omnium Hominum & Angelorum, initium viae Domini, atque adeo Omnis gratiae. Prima pars svadetur multiplici Autoritate tum scripturae, tum Patrum, quorum aliqui agentes de fine & motivo Incarnationis, solam Redemptionem generis humani assignant, & omnem aliam causam remouent, vt S. Aug. *serm. 8. de verbis Apostoli: si homo non peccasset, Filius hominis non venisset*, & vltra. *Nulla causa veniendi fuit, nisi peccatores salvos facere. S. Greg. Magnus. in illud Matt. 9. Non veni vocare justos sed peccatores*, inquit; *nisi Adā peccasset Redemptorē nostrū, carnē suscipere non oporteret, nō enim venit vocare justos sed peccatores ad penitentiam.* Irenaeus *adversus Hereses Cap. 14. si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum caro factum esset.*

His tamen non obstantibus, adhuc multi ex iisdem PP. asserunt Christum esse caput omnium Hominum & Angelorum. Ita sentit S. Aug. citatus, qui postquam dixisset nullam fuisse causam veniendi Christi praeter Redemptionem humani generis, tamen deinde *serm. 18.*

de Verbis Domini dixit, Michâélē Archangelum vicisse dæmonem gratiâ Christi; quo spe
stat & illud Apoc. cap. 12. *Et ipsi (boni Angeli) vicerunt eum propter sanguinem Christi.*
Idem sensus est. S. Cyrilli Libr 5. Thesauri cap. 8. ubi ait, *prævidit Deus peccatum hominem
prævidit etiam quomodo renouaretur, & ideo quasi radices huius spei in filio suo nobis posuit;*
& infra sic concludit; *perspicuum est, quantum ad præscientiam & deliberationem Dei Chri-
stum ante sæcula esse fundatū* Idē docet S. Athanasius qui licet serm. 3. contra Arrianos
dixerit, necessitatē indigentiaq; hominum anteriorem esse quā sublatā, hominē non induit,
set, subdit tamen infra, Christum quantum ad Humanitatem fundatum esse, vt nos super
illum veluti pretiosi Lapides inædificemur; non desunt & alij, quos brevitatis causā referre
hic non vacat. Atq; ex his secunda pars conclusionis manet probata.

Ad conciliandam verò hanc difficultatem, hic ordo decretorum conficitur. In 1^{mo}. si-
gno, suppositâ scientiâ simplicis intelligentiæ, & conditionatâ; fecit Deus decretum abso-
lutum condendi hoc vniversū ex libera Cōplacencia erga illud, & in eo duas rationales cre-
aturas, Angelicam & humanam, quas decrevit elevare ad statum supernaturalem, per gra-
tiam habitualem, & dare illis auxilia actualia, non tamen determinando pro hoc signo circū-
stantiam aut modum quo dictam gratiâ velit illis dare, in 2^{do}. signo fecit decretum condi-
onatum quodsi Angeli peccarent, nolit illis dare Redemptorem. In 3^{mo}. signo fecit pactū
cum Adamo, si non peccaret de transfundenda per eum iustitiâ originali in posteros; si verò
peccaret de transfundendo peccato originali in eosdem, *exceptâ* B. V. si illam sibi Chri-
stus in Matrem eligeret, qui etiam in hoc signo decretus fuit Redemptor generis humani,
si Adam peccaret, & illa occasione caput & finis rerum omnium.

In 4^{to}. signo vidit Deus scientiâ visionis peccatum Angelorum & Adæ, ideoq; purificari
conditiones priorum duorum signorum: hinc decretus est Christus Redemptor hominum,
& hac occasione Author Omnis gratiæ, ad eum ferè modum, quo legatus à Principe
missus primaria intentione, vt pacem faciat, alia negotia, hac occasione tractare solet:

Ex hoc ordine decretorum Patet, nullam esse repugnantiam inter hæc duo. Christus non
venisset, si Adam non peccasset, & tamen defacto est caput, & initium omnium creatura-
rum, quamvis enim in executione Adam accepit gratiam ex meritis Christi quando tamen
ab æterno prævidebatur in 1^{mo}. signo, non intelligebatur habere hanc gratiam determi-
natē ex meritis Christi, sed præscindendo an ex meritis Christi vel non; sed tantum gratiâ
quoad substantiam seu entitatem suam sine vllis determinatis circumstantijs, quod recte,
illustrari potest scientiâ Scoti, juxta quam dum Christus absolute decernitur quoad substan-
tiâ, nō decernitur in eo signo determinatē quoad circūstātiās passibilitatis vel impassibilitatis.

Tota hæc doctriina fundatur in decretis intentionis & executionis, quorum primum habet
pro obiecto rem vt amabilem secundum se, suamque substantiam; 2^{um}. tendit in modū
& circumstantias in quibus res ponetur. Vnde licet decretum intentionis communiter
dicatur efficax vi cuius videtur res ponenda extra suas causas hæc tamē efficacia terminatur
solum ad rei substantiam non ad circumstantias quas decretum executionis Infallibiliter ex
decreto intentionis, illatum exequitur. Neq; hæc decreta vllam in Deo arguūt imperfecti-
onē, immò verò sūmā libertatē. Cum enim Deus scientiâ suâ infinitâ cognoscat res õnes, non
solum quoad substantiam, sed etiam quoad singulas earum circumstantias, media, fines,
ordines, combinationes, ac respectus, & cum simul cognoscat se posse pro sua libertate, sin-
gula obiecta decernere, quoad omnem modum ita vt si velit prius decernat, rem quoad
substantiam quā quoad circumstantias, propter hanc bonitatem & perfectionem rei, &
non propter aliam, non est ratio cur non possit hac suâ libertate vri.

IV

Supposito, quod aliunde non ex meritis Christi Deus gratias contulisset Humanitati
ejusdē Christi; poterat hæc per absolutā Dei potentiam mereri de congruo V-
nionem hypostaticam per merita prioritate tam naturæ quā temporis, antecedentia
Vnionem: nullo autem modo potuit eandem mereri per merita Vnionem subsequētia. Primæ
Partis quoad prioritatem naturæ, ratio est. Cum enim subsistentia non habeat ullum influxū
realem in operationes, sed tantum sit conditio naturaliter requisita, vt natura operetur, nulla
est m

est implicancia cur natura substantialis non possit operari antequam intelligatur, habere talem conditionem; sicut licet unio animæ rationalis sit conditio connaturaliter requisita, vt ipsa primò operetur, tamen divinitus potest esse subsequens; & anima rationalis per actû antecedentē mereri unionē ad corpus. Immo de facto natura producit sibi substantiā (cū hæc sit modus) antequā habeat ullā aliā substantiā: ergo eadē natura poterit saltē de potētia absoluta producere etiā alios actus, quibus se disponat ad substantiā Divinā acquirendam sicut Angeli disposuerunt se ad gratiam habitualem. Quoad prioritatem temporis patet. Quia poterat Humanitas Christi prius tempore existere cum propria substantia & benè operari, atquē ideo per hæc opera poterat mereri Unionē hypostaticā saltē de congruò.

Secundæ partis ratio ex communi principio defumitur: Principium meriti non potest cadere sub meritum, cū autem in nostro casu unio hypostatica esset principium meriti subsequenti ipsam unionem, esset enim forma moralis dignificans meritum constituens illud in esse valoris simpliciter infiniti, sequitur principium meriti, hoc est, ipsam Unionem hypostaticam cadere posse sub se ipsam tanquam sub meritum.

Quòd si quis cum Suario dicat, potuit Deus decernere Incarnationem sed tamen, ita, vt nollet illam exequi, nisi per merita Christi, sicut in probabili sententia decrevit gloriā, sed ita, vt nollet illam exequi nisi per merita nostra: non rectè dicit. Quia si decrevit Incarnationem quam executivè meretur per sua merita Christus, iam Christus supponitur merens, & consequenter existens, cū movere non possit moraliter per merita ad executionem sui, nisi iam existat; gloria verò ita decerni potuit, quia illa non dignificabat opus meritorium, sed aliunde procedit, Christus, autem necessario existere deberet, vt dignificaret opus meritorium, quo sui executionem mereretur.

V.

Beatissima Virgo nec meruit, nec mereri potuit Dignitatem Maternitatis Divinæ de condignò, meruit tamen de congruò. Quoad condignum meritum ratio est, si enim B. V. meruisset aut potuisset mereri dignitatem Maternitatis Divinæ de condignò, meruisset illam vel per opera subsequencia Maternitatem, & ab illa trahentia vim meritoriam, vel per opera antecedentia: *num.* dici non potest; quia principium meriti cecidisset sub meritum: *2um* non sufficit: quia dignitas Maternitatis Divinæ, est tantæ excellentiæ & æstimationis moralis vt excedat omnia merita Beatissimæ virginis purè consideratæ, sine Maternitate quantumvis heroica & excellentia; ita vt non possint habere proportionem æqualitatis cum illa; habet enim quandam dignitatem infinitam ex bono infinito quod est Deus, cuius est Mater teste *S. Th. 1. p. q. 25 art. 6 ad 4um.* Ex quo etiam multi SS. PP. B. V. ratione Maternitatis suæ dixerunt Deiformem, Deificatam &c. fuitq; hæc Maternitas ratio finalis per quam Deus exemit B. V. à peccato Originali, eamquē gratijs excellentissimis nulli alteri puræ creaturæ concessis, prævenit.

Quoad congruum; est Autoritas scripturæ & PP. Lucæ 1. *Beata que credidisti quoniam perficeretur in te quæ dicta sunt tibi à Domino.* Vbi *Ly* Quoniam denotat fidei Marianæ causalitatem in executione eorum, quæ promissa erant Virgini; duo autem erant promissa, scilicet Conceptio & Nativitas Christi illis verbis, *Ece concipies & paries Filium;* quorum primum licet fuerit iam tunc perfectum cū ista diceret Elizabeth, quia tamen alterum nondum perfectum fuit, nempe Nativitas Christi, ideo in plurali dicitur. *perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino,* scilicet à merito tuæ fidei: Quod etiam S. Aug. serm. 18. de Sanctis, in præcitatū scripturæ textum his verbis confirmat. *O felix obedientia! quæ dum fidem humiliter dedit, Cali in se Opificem corporavit.* Et S. Bernardinus Senensis serm. 5, inquit. *B. V. in conceptionis Filij Dei consensu plus meruit, quam omnes creatura, tam homines, quam Angeli in cunctis actibus, moribus & cogitationibus suis, meruit enim fecunditatem in Virginitate, h. e. Maternitatem Filij Dei, præterea Ecclesia canit; quem meruisti portare.*

Nec deest ratio. si enim actus contritionis habet tantam proportionem cum gratia sanctificante, vt dicatur ejus meritum de congruò propriè dictum; cur hæc proportio cum

Maternitate negabitur actibus amoris Divini aliarumq; virtutum B. V. quos assidue, ardentissimèquè à 1^{mo} statim instanti Conceptionis suæ (vt fert communis Theologorum opinio) SSmã. Deipara eliciebat,

Sed quomodo inquit B. V. mereri potuit Maternitatem Divinam, dependenter à gratijs per merita Christi datis? nam beata Virgo præcessit Christum ex qua erat nasciturus, ergo quæ prius fuit, non potuit habere gratias ab eo, qui non existerat in se.

Nec satisfacies 1^{mo}; si dicas Christum duplici actione totali productum, vnâ quâ à solo Deo sit productus in 1^{mo} conceptionis instanti, cum organis & alijs dispositionibus dependenter, à qua illo instanti visus est Christus mereri B. V. Maternitatem; alterâ, quâ à B. Virgine, materiam subministrante, dependebat. Nam 1^{mo} hæc duplex actio non fuisset Christo connaturalis, quia debuisset per illam conservari toto tempore vitæ; cum non tantum 1^{mo} instanti meruerit B. V. Maternitatem sed per alia etiam opera in decursu vitæ & mortis. 2^{do} non erit B. V. simpliciter Mater Christi, quæ aliunde supponit illum productum. 3^{io} B. V. est merita vt disponeretur materia, quibus dispositionibus positis, sequitur connaturaliter productio vnionis, atqui hæc dispositiones non poterant cadere sub meritum Christi, quia ante illas non erat decretus.

Nec satisfacies. 2^{do} si dicas Christum non habuisse vllam dependentiam à B. V. tempore Passionis, eò quòd iuxta leges naturæ prius mori debuisset, atquè ita Christum eo tempore B. Virgini meruisse Maternitatem. Nam 1^{mo} sequeretur quòd B. V. tempore passionis non fuisset Mater Christi, à qua non dependebat. Christus magis quàm si fuisset mortuus. 2^{do} quòd Christus non meruisset 1^{mo} instanti conceptionis Maternitatem B. V. contra S. Pauli mentem ad Hebr 10 loquentis de primo ingressu in mundum. 3^{io} quòd Incarnatio non esset facta in utero ad redimendos homines quia vt patiens supponebatur prius ad hoc vt mereretur Maternitatem & ita in utero Matris non poterat concipi, vt per passionem nos redimeret. 4^{to} Quid in naturalibus esse potest, quàm Christum concipi vt natu grandem, mereri tamen Virgini Maternitatem vt nasceretur parvus? Igitur optimè satisfacies si dicas Christum quo ad substantiam existentem, præcindendo an ab hac, vel illa Matre, vel nulla hac vel illâ actione, à quibus non dependebat determinatè vt mereretur, meruisse Maternitatem B. Virgini. Est quidem Christus prior & posterior B. Virgine Matre: prior quo ad substantiam existens, & merens iuxta ea, quæ diximus conclusione 3^{ia}, posterior vt iam physicè dependens à Matre, & natus, ex quo tamen bene intelligitur, à Filio Matrem electam Virginem, & redemptam.

VI.

Etsi Verbum Divinum vnatur Humanitati Christi. Vera & reall Vnione per Hanc tamen Vnionem non mutatur. Tantum enim illud mutatur, quod est subiectum mutationis, atque adeo quod est incompletum & perfectibile. Verbum autem nequè est subiectum mutationis, nequè aliquid incompletum, & perfectibile, sed est omnino integrum & completum; ideoq; non potest dici, quòd in se recipiat Vnionem, aut quòd per illam intrinsecè afficiatur seu informetur. Quia hæc omnia supponerent verbum ante vnionem esse. Bis in potentia, & non omnino completum: Humanitas verò afficitur intrinsecè vnione recipitquè illam, cum compleatur & integretur per illam, & cum supponatur de se incompleta, & in potentia ad hoc, vt compleatur per aliquam substantiam: habet ergo se verbum respectu vnionis hypostaticæ, solummodò vt pure terminus intrinsecus,

Quod si dicas. 1^{mo} Verbum Divinum vi vnionis hypostaticæ habere intrinsecam denominationem, quam antea non habuit, cum intrinsecè sit nunc vnitum Humanitati & antea non fuit vnitum, nunc sit intrinsecè homo, & antea intrinsecè homo non fuit. Ergo Verbum mutatur, cum se aliter nunc habeat, quàm antea. Deinde verum erat dicere ante incarnationem, Verbum potest vniri, eâ verò peractâ verum est dicere, Verbum est actu vnitum: ergo Verbū erat in potentia ad vnionē. Demū pati est mutari. incarnari est pati ergo mutari. Quòd si inquā hæc dicas nō adeo urgetis licet enim possit cōcedi Verbū Divinū vi vnionis hypostaticæ

positiva, habere intrinsecā denominationē, quā antea non habuit, tamen illam non habet vt subiectum, sed præcisē vt purus terminus intrinsecus. Immo hæc propositio Verbum nunc aliter se habet intrinsecē, ac ante; potest in rigore negari, *Ly enim aliter se habere*, sonat subiectum receptionis formæ. similiter in rigore dici non debet Verbum habere unionem, sed tantum terminare: si verò, *Ly habere significet* solum, quòd aliquid verbo conveniat per terminationem, vel etiam per identitatem, potest concedi. sic dicimus Deum habere omnipotentiam, scientiam &c. Cæterum melius dicitur, nunc esse unitum, antea non fuisse. ex quo patet illud solum mutari, quod transit de potentia subiectiva, formali, Vel obiectiva, non autem illud, quod transit de potentia terminandi, ad actum: sic Deus, & quodvis obiectum amabile transit de potentia actuali terminandi amoris sui, ad ipsam actuale terminationem sine sui mutatione. Illud autem quod dicitur, in carnari est pati, non est intelligendum de passione propria, sed solum de grammaticali, sicut videri *Vel amari*.

Quòd si dicas. 2^{do}. verbum terminando unionem hypostaticam facere id, quod faceret substantia creata, hæc autem in genere causæ formalis terminando naturam mutatur. Ergo & Verbum. Minus proficies: facit quidem Verbum formaliter id, quod faceret substantia creata; non tamen eodem modo, quia non dat eundem omnino effectum formalem, sed æquivalentem & eminentem: sic (vei ex *una* parte supponitur) potest Deus in seipso, tanquam in idea, manifestare possibles creaturas supplendo speciem creatam, vbi species creata suppletur per speciem infinitam, & eminentem, hoc est per essentiam Divinam, vt est idea creaturarum.

Quod si istes: Verbum post incarnationem est subiectum denominationis intrinsecæ, quia intrinsecē denominatur unitum: ergo Verbum post incarnationem, est subiectum entitatis, hoc est unionis, quod autem est subiectum entitatis, mutatur. Ergo & verbum. non valet instantia. negatur enim Verbum esse subiectum denominationis intrinsecæ, cum solum sit purus terminus illius denominationis quod sufficit, vt dicatur esse unitus; sic Deus denominatur intrinsecē omnipotens, neque tamen est subiectum omnipotentiae, nisi quòd ad dici, & imperfectum nostrum modum concipiendi, qui tamen corrigi debet, vt & multi alij, quos servamus in concipiendis Divinis perfectionibus: itaq; denominatio illa intrinseca & obiectiva non recipitur in verbo, neq; ex parte obiecti in hac propositione, *Verbum est unitum*, aliud significatur, quàm verbum terminans unionem. Hinc

Infertur, Verbum neq; benè dici esse subiectum adhæssionis, quia subiectum ex ratione subiecti dicitur imperfectiōnē, sicut creatura, nā terminus creatus perficitur formaliter per creationem, & tamen ille respectu huius, est tantum subiectum adhæssionis: Melius ergo dicitur, Verbum esse tantum purus terminus intrinsecus; porro illud est purè terminus intrinsecus, quod verè & per se unitur alicui, & non in genere causæ materialis, vel formalis: ad rationem autem termini intrinseci spectat omne id quod ad rationem uniti, adeoque intrinseca præsentia vi ipsius terminationis quod etiam infertur *Ly per se ex terminis enim* videtur notum, non posse fieri vnum per se physicè ex rebus distantibus.

VII.

Humanitas Christi sanctificatur formaliter tam à Personalitate VERBI, quàm ab ipsa Deitate. De Personalitate Verbi vt distincta virtualiter aut eminentialiter à Deitate constat. Tum quia Personalitas Verbi vt ita distincta à Deitate est quoddam Ens Divinum; tum quia ratione unionis ad Humanitatem est radix proxima impeccabilitatis exigens dona & virtutes supernaturales, ergo unita Humanitati reddet illā participem Entitatis Divinæ, & obiectum amoris Divini, atq; adeò formaliter Sanctam: Et certè si gratia habieualis est Sanctitas, licet sit tantum quædam Divinitas participata & imitativa, Cur, & quidem à fortiori Personalitas Divina non Sanctificabit formaliter, cum sit formaliter Entitas Divina Humanitati unita immediate? Et confirmatur quia si per impossibile sola Personalitas Verbi uniretur adhuc Humanitas esset impeccabilis, ratione suppositi, sicut nunc est; ergo haberet aliquid essentialiter repugans peccato, Ergo aliquid, per quod Sanctificaretur.

Necq; assentiendum est illis, qui dicunt Personalitatem Verbi habere infinitam dignitatem & perfectionem solummodo ex eo quod includat ipsam Veritatem. Quia ipsa Personalitas prout virtualiter aut eminenter distincta à natura, est infinite perfecta, & adorabilis supremo cultu patriæ propter, excellentiâ quam in se habet, vt supponitur ex materia de Trinitate: licet enim ex Divinitate & Personalitate resultet major perfectio & excellentia quasi extensive, ipsa tamen Personalitas, prout contradistinguitur à natura divina, est æquè perfecta intensive, æquè excellens, æquè adorabilis, sicut totus Deus: & quamvis illa perfectio & excellentia Personalitatis sumatur ex ordine, quem habet ad Divinitatem, & in hoc sensu dici posset accipere aliquo modo suam perfectionem a Divinitate, cæterum cum hic ordo, ad Divinitatē sit ipsamet quidditas Personalitatis; immò revera nō sit ordo ad Divinitatē, sed exigentia perfectissimæ identitatis cum illa; hinc est totam hanc perfectionem & excellentiam esse de quidditativo conceptu Personalitatis, prout contradistinguitur à natura Divina. & per consequens habere Personalitatem in se formaliter excellentiam & perfectionem sufficientem ad dignificandum & sanctificandum operationes omnes Christi.

Se contra dices *imò* sanctitas formalis debet constituere filium Dei, seu facere formaliter subiectum esse particeps naturæ Divinæ; ideo enim gratia habitualis est forma sanctificans, quia formaliter constituit Filium adoptivum, & quia est Divina natura per participationem: personalitas verò non est natura Divina, ullo modo, prout intelligitur cōtradistincta à natura: ergo Personalitas prout sic cōtradistincta nō sanctificat: formaliter, quia nec ipsa ut sic reddit filiū formaliter. Ex duplici capite nō subsistit contradictio: *imò* enim nō est verū, quod ōnis forma sanctificans debeat reddere formaliter Filiū; quia gratia habitualis sanctificat formaliter Christū, & tamē nō reddit illum, formaliter filiū adoptivū, aut naturalē. Deinde si Pater æternus assumeret naturā humanā, ille homo esset Sanctus substancialiter & tamē nō esset filius Dei, *2dò* Personalitas Verbi vt cōtradistincta à natura est quidditative filiatio & denominat filiū Dei illud suppositum, quod solum est capax talis denominationis. natura enim humana neq; est filius, neq; filia, sed solum suppositum; vt docet S. Th. hic q. 23 art. 4. Quare sicut gratia habitualis inhærens Humanitati sanctificat formaliter humanitatem Petri; licet humanitas Petri non sit filius Dei adoptivus sed Petrus seu suppositum: ita personalitas Verbi unita immediatē Humanitati potest formaliter sanctificare Humanitatem Christi, licet humanitas non sit filia Dei, sed Christus, seu ille homo & suppositū, ad sanctificationem ergo solum requiritur, quod forma illa det jus ad beatitudinem supernaturalem, & si placet, quod constituat etiam hæredem, non tamen, quod constituat filium, sed solum quod constituat participē entitatis Divinæ: per hoc enim habebit jū ad hæreditatē non vt filius, sed vt Hæres qui abstrahit à filio & non filio etiam in humanis. Personalitas autem licet non sit formaliter natura est tamen formaliter entitas Divina, cujus participatio tribuit jus ad beatitudinem sicut participatio naturæ Divinæ.

Contra dices *2^o*. Quia si Personalitas Divina est formaliter sanctitas sequuntur multa inconvenientia: quod sanctitas in Divinis non sit attributum speciale sed transcendens. *2dò*. quod Personalitates sanctificent divinitatem. *3^o*. Quod sint tres sanctitates in Deo realiter distinctæ. Sed negatur sequela: & ad primum dici potest cum plurimis Theologis ex *1^a* parte illud non esse inconveniens, immò aliqui Theologi docent nominatim *P. A. 10. Br. 111.* tria tantum in Deo esse attributa non transcendente, scilicet intellectivum, volitivum & omnifactivum: potest tamen sanctitas dici attributum Dei, sicut immensitas & æternitas; quia nō est de *1^{mo}* conceptu naturæ Divinæ Ad *2dū* pariter negatur inconvenientia; sicut enim natura Divina novo titulo redditur æterna & immensa, per æternitatē & immensitatē Divinarum Personarum, ita etiam redditur sancta, & impeccabilis per sanctitatem earundem: immò vna Persona sanctificatur ab altera etiam per circuminfectionem, Idem ad *3^{ium}*. dici potest, scilicet esse in Divinis tres sanctitates realiter distinctas cum addito adiectivè, non substantivè. Quia in Divinis est alius, & alius, non aliud. & aliud. Deinde universaliter dici potest quod licet Personalitas sit sanctitas, quâ sanctificatur Humanitas, non tamen est sanctitas formalis, quâ sanctificatur Deus vt Deus, eadem enim forma potest esse sanctitas respectu

Vnius subiecti, & non respectu alterius, propter diversam capacitatem, vel incapacitatem subiecti, prout contingit in præfenti. Quia Personalitas potest esse prima radix Humanitati in ordine ad beatitudinem, & ideo respectu illius comparatur vt sanctitas, respectu autè ipsius Dei non comparatur vt sanctitas, quia non potest Deo esse *ima* radix suæ beatitudinis, vt manifestum est.

De Deitate vt distincta virtualiter aut eminentialiter à Personalitate, constat etiam imprimis ex PP. Qui sanctitatem Christi referunt ad Divinitatem; quam vocant oleum & vñtionem Humanitatis; sic dicit Nazianzenus orat. 2. De Paschate. *Humanitatem fuisse divinitate delibatam. Es Damasc. libr. 3. de fide cap 3. ipse se ipsum vñxit, vngens quidem vt Deus sua Deitate, & natus autem vt homo &c. Neque dici potest. PP. locutos esse de Deitate in concreto accepta, non autem de Deitate in abstracto accepta & vt virtualiter seu eminentialiter à Personalitate distincta. Quia PP debent intelligi in sensu proprio & rigoroso; quando enim dicunt quòd natura Divina non producat, intelliguntur de natura abstractè considerata seu vt est virtualiter aut eminentialiter à Personalitate distincta; ergo quando dicunt quòd Deitas sanctificet vel Deificet, debent intelligi de Deitate abstractè accepta, & vt Virtualiter seu Eminentialiter à Personalitate distincta. Eadem veritas constat secundo ex duplici ratione quarum *ima* est. Quia ad reddendam Humanitatem substantialiter sanctam, sufficit vñio mediata Deitatis cum Humanitate, quòd patet à pari ex operibus Christi, ad quorum dignificationem infinitam sufficit vñio mediata, dignitatis infinitæ, quæ soli Humanitati vñitur immediate, non autem operibus à Christo elicitis. Nec sufficit responsio, quòd dignitas seu Personalitas Verbi vñiatur operibus Christi immediate moraliter, licet non vñiatur immediate physicè, & hoc sufficere ad illa dignificanda infinite: non sufficit inquam responsio, quia eadem ratione dicetur, quòd Deitas vñiatur naturæ humanæ immediate moraliter & mediatè physicè, hocquè sufficere vt ipsa sit infinite sancta. *2da* ratio est. Quia potentior est vñio mediata Deitatis cum Humanitate ad hanc sanctificandam, quàm sit vñio immediata gratiæ habitualis cum eadem, plùs enim est Deificari Humanitatem, quàm informari gratia habituali, per vñtionem autem Deitatis mediatam Deificatur natura humana, cum per illud formaliter Deificetur, quòd est Natura Divina, constituens formaliter Deum in esse Dei, Deitas porro & non Personalitas est id, quòd constituit formaliter Deum in esse Dei. Ergo illud etiam Deificat formaliter humanitatem, cuius vltior est ratio. Quia Deificari formaliter, nihil aliud est, quàm fieri vel potius denominari formaliter Deum: hoc autem non potest haberi ab alia forma, quàm, ab illa quæ est formaliter Deitas sicut non potest haberi denominatio albi, nisi à forma, quæ sit formaliter albedo. ex his*

Non valet inferre *1mo* quòd si ratione vñtionis mediatæ Deitas sanctificaret Humanitatem formaliter, tota Trinitas eandem sanctificaret, cum omnes effectus orti à natura Divina abstractè considerata, qui non serviunt ad oppositionem relativam, ad intrà communes sint toti Trinitati: hoc inquam non valet inferre. Quia tunc solùm effectus orti à Natura Divina, sunt communes toti Trinitati, quando Natura Divina habet se per modum causæ efficientis, non autem quando habet se per modum puri termini, vt fit in præfenti, sic potest videri essentia Divina, vt virtualiter, seu eminentialiter distincta à Personis, non visis Personalitatibus, & è contrà.


Non valet inferre *2do*, scilicet vñtionem mediatam Deitatis ad Humanitatem non sufficere ad dandum effectum formalem sanctitatis, sicut non sufficit mediatas Dei influxus in peccatum, ad hoc, vt dicatur esse causa peccati: non inquam etiam hoc valet. Quia, vt dictum est in probatione conclusionis, mediata vñio sufficit ad dandum effectum formalem. Exemplum est in probabili sententia, quæ docet accidentia recipi in sola quantitate immediate, tamen per ea disponi materiam. Item in multorum sententia gratia sanctificans est in sola voluntate, & tamen sanctificat formaliter animam, & in sententia docente potentias distingvi, realiter ab anima, intellectus reddit animam intelligentem, licet sit immediate in solo intellectu, & mediatè in anima; Quòd verò non sufficiat, mediatas

Dei influxus in peccatum ad hoc, vt dicatur esse causa peccati. Ratio est. Quia influere mediatè, seu remotè, in peccatum, est tantùm producere libertatem humanam, quæ producta, se solâ concurrat ad peccatum in genere causæ efficientis, sicut ex eo, quod parens genuerit filium, qui postea peccat, non est causa peccati ipsius.

Non valet inferre 3^{to}. a pari, videlicet quòd unio mediata, cum gratia sanctificante non sufficiat ad denominandum subiectum gratum, ergo neq; unio mediata cum Deitate sufficit ad hunc effectum præstandum. si enim Angelus assumeret naturam humanam, gratia existens in natura Angelica non redderet naturam humanam sanctam. Respondetur enim disparitatem esse. Quòd justificatio sive filiatio adoptiva debeat fieri per renovationem interioris hominis, & qualitatem physicè immediatè inhærentem, vt constat ex Trid. sessi. 6. cap. 7. vnde cum gratia habitualis in illo casu non inhæreret naturæ humanæ, non redderet illam formaliter sanctam; at verò ad filiationem naturalem constituendam illud non requiritur, vt patet in Christo, cuius natura humana sanctificatur à Personalitate Verbi, quæ non est forma inhærens, sed solùm retinens vnionis hypostaticæ.

Non valet inferre 4^{to} etiam à pari. Quia si sanctitas Divina dat effectum formalem sancti, Humanitati Christi, etiam *vg.* immensitas & æternitas Dei dabunt effectum formalem immensi, & æterni. Multùm hic se torquent alij in danda disparitate: nobis autem facilius occurrit responsio ex principijs nostræ philosophiæ. Ratio ergo est, cur immensitas, & æternitas non possint tribuere effectum suum formalem Humanitati. Quia esse in loco, & durare est identificatum Humanitati, secundùm id, quod durari & vbiari dicunt in recto, quare si immensitas Verbi redderet Humanitatem immensam formaliter, aut æternitas æternam, iam Humanitati Christi (sicut cæteris entibus) vbiatio & duratio essent identificatæ saltè quo ad rectum, & nõ essent identificatæ, ut supponitur, nõ essent autè: quia Humanitas redderetur vbiata; & durans per aliquid à se distinctum in recto, scilicet per immensitatem & durationem Verbi.

VIII

 *Christus non solùm vi visionis beatæ, sed etiam vi Vnionis hypostaticæ erat im-*
peccabilis tam in sensu composito, quàm in ien'u d'it'lo eiusd'm vnionis. Fidei
est dogma Christum non peccasse vlllo peccato etiam levissimo: talis enim dece-
bat vt nobis esset Pontifex sanctus, innoc. us, impollutus segregatus à peccatoribus, & ex-
celsior Calis factus Hebr. 7. Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius.
1. Pet. 2. sed neq; per vllam potentiam erat peccabilis, sive ita, vt simul cum peccato reti-
neret vnionem hypostaticam, sive ita, vt eam per peccatum deperderet. Vnde verò hæc
in Christo impeccabilitas proveniebat? duplici ratione declarari potest. 1^{mo} asserendo Ver-
bum Divinum habuisse debitum, quo obligabatur ratione Vnionis hypostaticæ gubernare
naturam humanam sibi vnitam, sicut tenetur anima gubernare sibi manum vnitam, ap-
petitus superior inferiorem, vir vxorem, Pater Filios, Dominus servos. Nam Deus non
quidem ut Dominus, qui defacto in hominibus multa peccata permittit, sed tanquam Pater
Christi naturalis obligabatur; Christus enim etiam inquantum est Homo, est Filius Dei na-
turalis, ergo etiam Deus est Christi, inquantum est Homo, parens naturalis; quomodo
ergo Pater non tenebitur Filij naturalis impedire peccatum? quomodo non obligabitur e-
um dirigere? Deinde si ex vnione oritur obligatio dandi visionem beatam Christo, quomo-
do non orietur obligatio dirigendi ad bonum? Demum si non repugnet tam arcta obligatio,
cui defacto negetur?

Interim 2^o efficacius dici potest impeccabilitatem hanc provenisse ex modo perfectis-
simo, quo sanctificabatur Humanitas Christi: quare non tantùm actuale, aut habituale,
peccatum Humanitati Christi repugnabat, sed etiam potentia proxima ad peccandum, tum
ratione visionis beatificæ, tum ratione hypostaticæ Vnionis; deberet quippe ad hoc vt visio
beata per peccatum deperderetur, proponi malitia Peccati in actu 1^{mo}, & voluntas se
posse determinare ad peccatum, eo modo, quo contingit, quando gratia deperditur: Ve-
rùm

um implicat stante visione Beata. quæ proponit solum bonum amplectendum, & malum vitandum, dari propositionem indifferentem in actu *1^{mo}* de peccato committendo, vel non committendo, & fieri determinationem à voluntate, quæ à visione beata conformiter ad voluntatem Divinam omnino ad vnam partem determinatur; ergo. Nec Satisfacies, si dicas, præscindi in actu *1^{mo}*. nec intelligi, sit ne visio vel non visio in priori naturæ, antequam voluntas se determinet: nam si prius fuit visio, nec in priori naturæ est peccatum, per quod sit deperdita, non magis præscindet, quàm gratia quæ per peccatum deperditur: differunt verò quòd hæc non tollat indifferentiam voluntatis in actu *1^{mo}*, vt tollit visio beata.

Vnio etiam hypostatica ratione modi perfectissimi sanctificandi Humanitatem, ita illam reddit impeccabilem, ut neq; de potentia absoluta etiam in sensu diuiso posset deperdi; Vnio enim ita essentialiter sanctificat naturam humanam, vt exigat essentialiter *1^{mo}* Deum non dare concursum naturæ in ordine ad malum, *2^{to}* vt tollat potentia vim proximam se determinandi ad malum. Quòd si concedas ratione perfectissimæ sanctificationis, implicare actum *2^{um}*, quo se Humanitas determinet ad malum, necesse est, vt concedas pariter actum primum proximam seu potentiam proximam in Humanitate quòdam determinationem ad malum, implicare; cum potentia proxima sit per ordinem ad actum *2^{um}*. Vnde ad hoc, vt in sensu diuiso Vnio hypostatica destrueretur per peccatum ante destructionem vnionis in sensu composito, deberet præintelligi habere concursum indifferentem, & consequenter habere potentiam proximam ad peccandum; atqui negatio concursus indifferentis ex perfectissimo modo sanctificandi infallibiliter & essentialiter consequitur vnionem, è contrà autem desitio negationis concursus indifferentis oritur ex peccato, quòd esset causa, cur non esset amplius negatio concursus indifferentis: sed desitio negationis concursus indifferentis: non potest intelligi, nisi per ablationem Vnionis, quæ ablatio Vnionis ex peccati existentia fieri deberet, atque adeo desitio negationis concursus indifferentis, seu concursus indifferens requisitus ad peccandum esset & non esset effectus peccati: esset, quia quamdiu manet vnio, esset negatio concursus indifferentis, manente enim causa manet effectus essentialiter & necessariò dependens; non esset effectus peccati, quia concursus indifferens, seu desitio concursus indifferentis debet intelligi esse ante peccatum, quæ apertè implicant. Quare cum Vnio hypostatica tollat potentiam proximam ad peccandum; facit pariter vt nõ conferatur cõkursus indifferens. Nec refert potentia se determinandi, secundum se malam non esse; sufficit enim quòd ipse actus sit malus vt potentia ad illum implicet.

IX



Impeccabilitas Christi nihil officiebat, quominus liberè moveretur supposito etiam riguroso præcepto. Supponendum *1^{mo}* ad salvandam laudabilitatem & præmiabilitatem operationum Christi, non esse quærendam libertatem contrarietatis, sed sufficere libertatem contradictionis: sic Christus liberrime amavit homines, qui licet non potuerit illos odisse, poterat tamè liberè & licite nõ exercere actum amoris itè liberrime dicebat veritatem, quia licet non poterat mentiri, poterat tamen licite non loqui.

Supponendum *2^{do}* difficultatem esse circa præcepta positiva, contra quæ quis peccat, vel omittendo vel exercendo actum contrarium, & venit præcipue in controversiam præceptum moriendi, quòd dicitur Christus habuisse.

Sed qualenam præceptum moriendi habuit Christus? Præceptum enim seu mandatum sumitur aliquando pro ordinatione superioris obligantis sub peccato vel in conscientia, & hoc præceptum dicitur rigorosum: aliquando verò sumitur pro ordinatione, vel regula superioris potentis obligare in conscientia, non tamen obligantis.

Aliqui ergo negant Christum habuisse præceptum rigorosum moriendi, sub peccato obligans, seu in conscientia, sed solummodò mandatum per modum directionis & regulæ proponentis mortem; quòd sustinere conantur ex varijs script: locis, *Isai: 53. Oblatus est, quia ipse voluit.* Ioan. 10. *Nemo tollit animam meam à me sed ego pono eam à me ipso.*

Quibus favent PP. S. Anselm. lib. cur Deus homo. c. 8. *nōn ergo inquit cōdēgit Deus Christi mori in quo nullum fuit peccatum, sed ipse suā sponte sustinuit mortem, non per obedientiam deserendi vitam.* Theophylactus super illa verba: *sicut & ego Patris mei praecepta servavi* Ioan. 15. inquit: *hoc attemperans se auditorum infirmitati dicit, non enim qui omnium est Legislator mandatis est obnoxius.* Et ratio esse potest: quia praeceptum rigorosum videtur esse comminatorium indignationis & vindictae Divinae, nisi quis fecerit quod praecipitur e. c. Dum Deus nobis praecipit observationem & cultum diei festi, aut aliquid aliud, hoc ipso dicit: si non observaveris & colueris diem festum, ego tibi indignabor, teque puniam; impossibile autem & Chimericum, consequenter nugatorium videtur esse, imponere praeceptum cum tali comminatione homini impeccabili, qualis erat Christus, ut per se patet.

His tamen non obstantibus probabilius est Christo fuisse impositum rigorosum praeceptum moriendi; hoc enim est conformius locutioni scriptae: & PP. praefertur illi, Ioan. 15. ubi eodem modo dicuntur praecepta imposita Christo à Patre, prout sunt imposita Apostolis à Christo. *si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea. sicut & ego Patris mei praecepta servavi & maneo in eius dilectione.* Item Rom. 5. inobedientia Adae quae fuit contra praeceptum rigorosum, comparatur cum obedientia Christi: *Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obedientiam iusti constituuntur multi.*

Ad rationem contrariae sententiae paulò antè adductam. Respondetur non esse de ratione praecepti rigorosi, quòd sit formaliter comminatorium; (licet sit tale virtualiter) sed sufficit quòd sit merè directivum, ut patet exemplo Principis Legislatoris, qui dum fert legem, obligat etiam se ipsum illa lege quòd vim solùm directivam. sine vlla comminatione pœnae respectu sui ipsius; cum nemo sibi ipsi possit imponere pœnam propriè dictam: pœna enim propriè dicta seu coactio ad pœnam exigit ex natura sua distinctionem inter punientem & punitum. Quòd si verò vis directiva in hoc casu distingvatur a comminatoria vel coactiva, quare non poterit praeceptum directivum datum Christo distingvi, à praecepto comminatorio? deinde certum est, quòd quando Deus promittit gloriam æternam bene viventibus, reddat sibi illicitam denegationem gloriæ, quam si non promisisset, iustissime potuisset negare, & tamen hoc fuit, sine vlla comminatione.

Iam ergo quòd Christo Domino fuerit impositum praeceptum rigorosum moriendi, probatur imò quia Christus potuit se ipsum obligare in conscientia ad aliquid faciendum vel omittendum, vel aliquid promittendo, vel promissionem juramento confirmando. qualiter defactò multa promisit, sicut & Deus idem praestitit. ergo poterat etiam obligari lege, vel praecepto positivo sibi à Deo imposito; si enim non obstante eius impeccabilitate potuit se ipsum obligare, quare non potuit ab altero per praeceptum obligari? 2^{do} Christus potuit aliquid vovere Deo, quòd votum induceret novam obligationem; nam si Deus potuit aliquid promittere Christo, cur Christus nō potuit promittere Deo? 3^{do} potuit Deus exigere a Christo omnes eius actiones titulo proprietatis, cum nō sit minus Dōminus harū actionū, quā alterius cuiuscunq; hōinis; quo posito, Christus de novo fuisset obligatus ad ponēdas illas actiones, ad quas nō fuisset obligatus, si Deus illas nō exegisset titulo dōnij proprietatis: 4^{to} Christus obligatur lege naturali nō mentiendi, Deo serviendi, gratias pro beneficijs acceptis agendi &c; ergo poterit etiam obligari praecepto positivo rigoroso. 5^{to} ex probabili sententia, omnes actiones Christi fuerunt à Deo absolūtè, & efficaciter praedefinitae, hæc verò praedefinitio ut cognita Christo, vel per scientiam per se infusam, vel per visionem beatam: atqui hæc obligat in conscientia, ita ut si per impossibile opponeretur illi praedefinitioni, vel faceret oppositum, peccaret qui enim conatur frustrare Dei voluntatem efficacem, peccat. Quòd si autem potest obligari in conscientia per praedefinitionem cognitam; quare non poterit obligari per legem positivam? Atq; ex his

Constat imò hoc praeceptum Christo de subeunda morte impositum. dici rigorosum & obligatorium in conscientia; hoc sensu, quòd scilicet Christus peccaret, si per impossibile faceret

110
faceret contra illud, quo etiam sensu Deus dicitur obligari ad non mentiendum, quia si per impossibile mentiretur, peccaret.

Constat 2^{do} idem præceptum impositum Christo, non solum habere, quod reddat actus oppositos præcepto, illicitos; sed etiam impossibiles: quare si ponas Christum non habuisse per aliquot annos præceptum de moriendo, in quo statu certum est, quod potuerit mori, & non mori; deinde si his annis finitis, imponatur ipsi præceptum de morte subeunda, hoc præceptum reddet omissionem mortis illicitam & impossibilem. Cuius ratio est, quia omissio vel negatio mortis extrahitur per præceptum extra obiectum voluntatis Humanitatis unitæ Verbo; hæc enim cum non possit ferri nisi in bonum; per præceptum autem mortis; negatio mortis constituatur in esse malæ obiectivè, sequitur quod extrahatur extra obiectum voluntatis, vel prosecutionis Christi, consequenter reddatur impossibilis omissio libera Christi.

Constat 3^{to} non esse de ratione præcepti quod reddendo actus oppositos præcepto, illicitos; simul etiam relinquat illos possibiles fieri libere. Hoc ergo solum habet præceptum rigorosum directivum, quod reddat obiectum moraliter obiectivè malum, & dissonum rationi, quo posito, sequitur deinde impossibilitas in Christo tanquam impeccabili, illud faciendi: qua ratione: Quia mendacium habet intrinsece eam malitiam obiectivam; redditur impossibile Deo, & hoc sensu, non alio dicitur Christus obligari in conscientia sive sub peccato, ut dictum est. Hæc quidem erant supponenda ex materia de præceptis, prout communiter supponuntur ab Authoribus, dum de libertate Christi disputant; quia tamen ad ea per in directam argumentationem potest aliquis defectere, ideo hæc præmittenda erant.

Veniamus nunc ad declarandam libertatem Christi circa subeundam mortem ex præcepto Dei rigoroso. Et imprimis nunquid cum Soario salvabis hanc libertatem, si dicas Christo datum esse præceptum, indispensabile quidem circa substantiam & circumstantias mortis, sed tamen ita, ut stante hoc præcepto indispensabili, Christo ratione Unionis hypostatice essent debite essentialiter gratiæ efficaces semper, ad bene operandum; quo casu esset liber, cum per gratiam efficacem libertas non elidatur; esset etiam impeccabilis, quia stante gratia efficaci non posset peccare potentia consequenti, hæc n. non minus stare possent cum libertate & impeccabilitate, quam stante scientia mediâ, potest consistere de cretum efficax prædefinitionis cum libertate & impeccabilitate; quo decreto Deus prædefiniret actum bonum, aut gratiam efficacem sine læsione libertatis. Verum hæc minime salvant libertatem cum impeccabilitate Christi: demus enim possibile dari præceptum Christo indispensabile circa substantiam mortis & eius circumstantias (quod in rigore præceptum non esset, cum non sit circa materiam liberam respectu Christi in sensu composito considerati, quamvis esset respectu Christi in sensu diuiso considerati, quo Christus naturam humanam dimitteret) aut quatenus Christus præciso præcepto potuisset mori vel non mori, certe eo posito præcepto minime erit liber ad moriendum, & non moriendum nisi velis esse liberum ad implendum præceptum, & non implendum, seu peccandum. Neque gratia efficax salvabit eandem libertatem; cum enim unio hypostatica sicuti exigit & facit Christum necessario & essentialiter non peccare, ita essentialiter & necessario exigit et gratiam efficacem, & consequenter illa, quæ intrinsecè constituunt gratiam in esse efficacis, hoc est entitatem auxilij & consensum sub conditione futurum: è contra verò excluderet essentialiter & necessario illa, quæ impediunt & tollunt gratiam efficacem, hoc est, negationem consensûs sub conditione futuri, nec hoc potentia consequenti & in actu 2^{do}, sed potentiam antecedenti, & in actu 1^{mo}. Nam si solum in actu 2^{do} excluderet necessario negationem consensûs, ergo Christus in actu 1^{mo}. habebat potentiam ponendi consensum, vel negationem consensûs in mortem, seu moriendi & non moriendi, consequenter peccandi, quod repugnat. Atque hinc constat differentia inter decretum prædefinens & unionem hypostaticam; decretum enim prædefinens suppositâ scientiâ mediâ, consequitur nostrum consensum sub conditione futurum, & à nobis pendet, ut decretum prædefinens non fiat; sicuti pendet à nobis, quod à Deo non prævideatur consensus sub conditione futurus: unio verò hypostatica, positâ

quacunq;

B

96507



quacunq; scientiâ, non consequitur Christi consensum sub conditione futurum, nec ab eo pendet, vt vnio hypostatica detur: sed illâ positâ essentialissimè non solum potentiâ consequenti, sed etiam antecedenti infert consensum in mortem, nec potest Christus vlla ratione facere, vt per illam scientiam, in sensu composito vnionis, fuerit præuisa negatio consensûs possibilis, etiam potentiâ antecedenti, & in actû imo.

Nunquid 2do salvabis eandem libertatem cum Vasq; dicendo, quòd licet Christus non potuerit non observare præceptum moriendi quoad substantiam, omnino tamen fuisse liberum quoad circumstantias motivorum, & intentionis actûs, quo mortuus est vel mori potuit? Potuit enim Christus mortem acceptare ex hoc vel illo motivo V. g. ex motivo charitatis, vel religionis, vel alterius virtutis; item magis vel minus intenso actu virtuoso. Sed licet hoc modo dicendi ostendatur aliqua libertas & laudabilitas Christi in acceptanda morte quoad circumstantias (qualis libertas conceditur Christo in adimplendis præceptis naturalibus) tamen hæc libertas non sufficit vt mors, absolutè & simpliciter imputetur Christo ad laudem, neq; agendæ sint ipsi gratiæ, quòd pro nobis absolutè & simpliciter sit mortuus, sed quòd tantum actu tam intenso: vel quòd ex hoc aut alio motivo sit mortuus; quòd tamen videtur esse contra scripturam passim; vbi de morte ipsa secundum substantiam sermo habetur, quasi ipsa libera Christo fuerit. Ad Hebr. c. 2. *proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusionem contempna.* Ad Phil. 2. *Factus est obediens usque ad mortem, propter quod & Deus exaltavit illum.* Vbi non dicit quia libentiùs obedivit, quia citiùs, quia ex tali motivo, sed quia mortè obediens acceptavit; Deinde patet hoc ipsum à pari. v. g. si quis mihi debeat 100. florenos, & est necessitatus ad illos solvendo, relicta tamen est illi libertas vt hos 100. potius quam alios det, in æquali moneta, sanè nunquam dabitur illi laudi, quòd mihi reddat 100 licet habeat libertatem vt hos det vel illos.

Nunquid 3to salvabis dictam libertatem cum pluribus Recentioribus dicendo Christû fuisse liberum quoad substantiâ mortis, quia libere anticipavit mortè? Licet enim omnibus hominibus necessariò sit moriendum, tamen Martyres moriuntur libere quoad substantiam mortis, eam anticipando, neq; alio modo mors dicitur voluntaria, nisi quia eandem anticipant homines, spem habentes vltionis vitæ, aut nescientes imminere sibi vltimum instans, in quo necessitas moriendi vrget. ergo eadem ratione diceretur mors esse libera Christo quoad substantiam; quia illam anticipavit. Atqui nec hæc viâ facile deducitur libertas Christi in moriendo: eadem n. argumenta hîc obstant, quæ præcedenti doctrinæ obstant: Quia nimirum non deberemus Christo gratias agere pro substantia mortis, sed tantum pro circumstantia temporis, nempe quòd tali tempore sit mortuus. Deinde multis locis scriptura suo modo indicat Christo circumstantias mortis fuisse præceptas; præsertim hanc temporis. sufficiat pro nunc testimonium Lucæ 12. *Baptismo habeo baptizari & quomodo coardator usque dum perficiatur.* Vbi Christus indicat se angî ex mora, seu dilacione suæ mortis, vt observat Glossa interlinealis, non angeretur autem ex hac dilacione, si liberum fuisset illi anticipare tempus mortis præceptæ. ergo per anticipationem non bene explicatur libertas mortis Christi. Hîs itaq; remotis.

Duplex potissimum via restat, libertatem quoad substantiam cum præcepto moriendi in Christo, salvandi. imò si dicatur potuisse Christum à Deo petere dispensationem in præcepto moriendi, Hoc enim probat illud Ioan 10. *Nemo tollit animam meam sed ego pono eam à me ipso.* Et illud Matt. 26. *As putas, quia non possum ozare Patrem meum & exhibebit mibi modò plusquam duodecim legiones Angelorum?* Vbi clare ostendit se posse impedire mortem, non nisi per petitionem dispensationis in præcepto: quæ verò major libertas potest esse, quam neq; hoc instanti necessariò mori, neq; habere necessitatem moriendi pro tempore subsequenti? hanc verò libertatem habuit Christus; nam eo instanti, quò mortuus est, non necessariò moriebatur, quia præceptum non obligabat pro illo instanti ad mortem, aut vt præceptum acceptaretur, sed neq; necessariò mori debuit tempore sequenti, quia poterat petere præcepti dispensationem, & abrogationem, & ita impedire, ne moreretur.

Ex quo habetur imò quòd licet Christus stante præcepto obligaretur ad mortem,

111
mortem, non tamen necessitabatur; quia cum præceptum de morte non obligaret pro illo instanti determinato, & per dispensationem tolli posset, non tollebat libertatem eo instanti, quò implebatur, quando non necessario illo instanti implebatur, quo pacto si prædeterminatio non necessitaret pro tempore determinato, & esset in potestate hominis illà tollere, non tolleretur libertatem.

Habetur 2^{da} Christum non solum meruisse formaliter per voluntatem non petendi dispensationem, sed etiam per voluntatem moriendi; quia quando est mortuus, libere est mortuus, tunc n. non obligabat præceptum: postea etiam non fuisset necessitatus mori, quia per dispensationem poterat tollere præceptum,

Habetur 3^{ta} Christum non futurum quidem liberum circa mortem, si eam distulisset usque ad ultimum instans, quo præceptum se extendisset, & vrsisset, v. g. in hora A. per hoc tamen, quòd ex hac ratione videatur mors meritoria & libera præcepta, & consequenter ut eam susceperet ante ultimum instans horæ A. non sequitur quòd eiusmodi susceptio mortis ante ultimum instans, utpote præcepta, non sit libera; quia licet mors sit præcepta libera, & huius acceptatio debeat esse ante ultimum instans, quandoquidem ultimo instanti, Christus non esset liber manente præcepto, non tamen debuit acceptari mors in aliquo determinato tempore, aut instanti ante ultimum instans, sed in aliquo tempore, & parte temporis indeterminata, quæcumque illa sit, siue pars B. siue C, siue D, atque ita nunquam in aliqua parte determinata necessitabatur mortem subire, consequenter fuit meritoria.

Habetur 4^{ta} quòd licet præceptum absolutum de morte subeunda Christo videatur impositum; superior tamen & Legislato, semper imponit præceptum sub tacita conditione, nisi aliter disposuerit, & ita Deus præcepit Abrahamo immolationem Filij, Loth fugam in montem, cui tamen petenti, concessit, ut posset fugere in civitatem Segor.

Habetur 5^{ta} quòd licet Christus dixerit ad Patrem; *si possibile est transeat à me calix iste* non id dixit, quasi impossibilis fuerit dispensatio, sed quia vidit infallibiliter necessitate consequenti, non futuram dispensationem, affectu inefficaci ostendit, quòd secundum partem inferiorem refugeret mortem, à qua tamen per petitionem dispensationis absolute liberari non voluit

2^{da} libertas Christi de subeunda morte potest salvari, per hoc, quòd posito præcepto Dei etiam indispensabili de morte subeunda, potuit Christus petere à Patre legiones Angelorum, per quos fuisset ex potestate humana liberatus, juxta dictum ipsiusmet Christi supra citatum, *An putas quia non possum rogare Patrem meum &c* sic enim Christus potuit absolute non mori, manente præcepto rigorosissimo in suo rigore; sicut indigena Vilnæ, potest licite, & sine vlla dispensatione comedere lacticia die veneris, si transeat in Germaniam, manente præcepto Vilnæ, igitur Christus non fuit obligatus præcepto de morte subeunda, nisi ut constitutus sub potestate humana; cui subiectum esse constat ex dicto Christi ad Pilatum Ioan. 19. *non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset de super*: ab hac potestate potuit liberari per Angelos; ergo & à morte; quia ergo Christus non petijt Angelos, libere mortuus est. Quæ possunt obijci contra hunc modum dicendi, solvuntur sicut ea, quæ dicta sunt contra immediate antecedentem viam salvandi libertatem Christi de morte subeunda.

X


Icet Christus habuerit necessitatem moralem non recedendâ, à Divini Consilij & obiectis melioribus, iuxta Dei voluntatem; habuit tamen potentiam physicam hæc omittendi. Pro prima parte militat communis omnium Fidelium sensus, qui non aliter judicant de Christo Domino, nisi credentes, ipsum datâ quavis occasione, fecisse id quòd hic & nunc melius & perfectius erat juxta Dei voluntatem quòd patet ex illis Ioan. 8. *Quæ placita sunt ei, facio semper*. Et ratio est; quia Christus erat instructus habitibus maximè intensis, quibus nulla passio reluctari poterat. Item habuit cognitiones perfectissimè pene transtes honestatem obiectorum, sine vlla fallacia in eis apparente: præterea clarissimè cognovit motiva omnia, quæ inclinant ad Dei voluntatem in omnibus integrè amplectendam.

Et certe si de B. V. pie asseritur, & probat Suar. 3. parte, Disp. 18. sect. 2. eam nimirum in omnibus occasionibus exercuisse opera secundum ultimum gradum perfectionis, quem tunc poterat attingere. juxta totam latitudinem habituum & auxilij præsentis; cur idem à potiori non sit de Christo Domino existimandum? Fundamentum autem horum omnium desumitur à priori. Quia Humanitas Christi ratione Unionis hypostaticæ sanctificatur perfectissimè, ratione cuius sanctificationis, sicut redditur immunis ab omni culpa etiam levissima, ita ab omni imperfectione morali, alias posset excogitari alius perfectior modus sanctificationis, scilicet ille, qui impediret non solum culpam, sed etiam imperfectionem. Deinde in Humanitate Christi ratione visionis beatæ adest peculiaris ritulus determinans ad actum perfectiorè; sicut enim visio beata impedit peccatū etiā leue, cum Beatus necessariò fugiat displicentiam Dei etiā leuissimā, sic etiā adeo rapitur in amorè Dei clarè visi, vt velit illi in omnibus placere: propositis ergo duobus obiectis, quorum vnum plus placeat Deo, non potest Beatus hoc prætermisso eligere aliud, quod minus placeat Deo: non ergo potest elicere actum minus perfectum, cum sciat hunc minus placere Deo, quàm perfectiorem.


Neq; hinc sequitur Christū à nobis non esse exorandū, eò quod sit moraliter necessitatus ad melius, Quia imprimis multa sunt obiecta indifferentia, in quibus vtraque pars est bona, & neutra melior, potest ergo Christus inflecti orationibus nostris ad hanc potiùs partem, quàm alteram: Deindè licet obiecta secundum se, & independentè a nostris precibus, essent inæquā, vtiliter tamen petimus, quia sæpè fiet, quod pars illa, quæ erat inferior, sit iam superior in bonitate obiectiva, eo quod illi nostra oratio addat novum motivum, adeòq; novā honestatem, cum iam non consideretur secundum se præcise, sed etiam vt petita: Hinc ergo sequitur Christum necessitari iam moraliter ad illam partem, quæ petitur, licet sit secundum se inferior alterā, cum iam fiat superior ratione novi motivi, hoc est petitionis nostræ.

Pro 2da parte ratio est. Quia si Christus non habuisset potentiam saltem physicā eligendi obiectum imperfectius, non habuisset sufficientem libertatem, in genere laudabilitatis moralis, cuius radix est libertas; sicut è contra ad hoc, vt in peccatè venialiter sit sufficiens libertas ad culpam & demeritum, necesse est ponere libertatem saltem physicā ad oppositum. Neq; tamen ex hoc, sequitur habuisse Christum potentiam physicā ad imperfectionem moralem positivam, sed tantum ad carentiam perfectionis moralis. Ratio desumitur ex S. Thoma Opusc 18. Lect. 1. ad cap 13. Dionij. de Divinis Nomin: sicut enim perfectio moralis positiva consistit vel in possessione ultimi finis, vel in voluntaria dispositione ad ipsum: ita imperfectio moralis positiva consistit vel in impedimento finis ultimi, vel in voluntario periculo ipsum non obtinendi. Quia ergo omissio voluntaria actus perfectionis non esset in Christo impedimentum finis ultimi, nec periculum ipsum non obtinendi, vel melius non obtinendi, ideo in Christo omissio libera actus perfectioris, non esset imperfectio moralis positiva, sed tantum negativa. Ex quo non sequitur Christum fuisse reprehensibilem, reprehensibilitas enim sequitur tantum imperfectionem moralem, positivam, non autem negativā.

XI.

 *Christus meruit sibi gloriam peculiarem corporis cum illa s. Vulnerum mirifica illustratione.* Ita consensus PP. & scholasticorum contra Calvinum & Patet ex illo Lucae 24. *Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Et ex eo Hebr. 9. *Videmus IESVM per passionem mortis gloria & honore coronatum.* Non meruit autem gratiam habituales, & visionem beatam. Quia hæc consequerentur unionem hypostaticam, tanquam suam radicem: ergo debebantur Christo ante opus meritorum, sed specialiter de visione beata probatur. Quia prima cognitio saltem ordine naturæ fuit in Christo visio beata, ergo præcessit meritum dependens à cognitione infusa.

XII.

 *Christus Homo non fuit filius adoptivus, sed Filius Dei naturalis.* Est veritas de fide, contra Felicem & Elipandū, definita à Concilio Francofordiensi. Christus quippe non est persona extranea, & alienus ab eo, à quo adoptetur: extraneitas autem,

sicuti per adoptionem solo affectu, & accidentaliter. manet coniuncta, ita dicit negatione filiationis naturalis. Sed an ad fidem spectet Christum etiam in quantum hominem esse Filium Dei naturalem controvertunt DD. cum Concilium solum specificative videatur loqui, neque humanitas sit ratio filiationis, sicuti est ratio patendi & moriendi, dicaturque ab Adriano naturalis Filius, quia Deus, non quia Caro: veritas tamen nobis certa est, Christum etiam ut Hominem esse filium Dei naturalem, & quidem non totius sanctissimae Trinitatis, sed solius Patris, tantum enim duas Filiationes agnoscunt PP. alteram ad Patrem fundatam in generatione aeterna Patris, alteram ad Matrem, fundatam in generatione temporali. Aug. certe 2. de Trin. cap. 10. & 7. illud Matthaei. *Hic est Filius meus dilectus* non a tota Trinitate, sed a solo Patre de Christo ut homine dictum testatur, Ibi enim inquit, cogimur personam Patris accipere. neque enim IESUS, etiam Spiritus S. Filius, aut uis Filius credi, aut intelligi potest. Dicitur autem Filius, in quantum Homo Quia formaliter dicit illud suppositum, quod est imago substantialis Patris, ipsiusmet representativa, atque adeo quod procedit, in similitudinem ipsiusmet producentis (vel si mavis, quia procedit a Patre ut vivens a vivente tanquam principio conjuncto in similitudinem naturae)

Quia ergo Christus ut Homo, sive ut hic homo, sive ut haec Persona, reduplicatione cadente supra suppositum, est verbum Divinum, habens sibi unitam hanc numero Humanitatem; Verbum autem Divinum habens hanc numero Humanitatem, est Filius Dei naturalis modo explicato, hoc est, quia representat substantialiter ipsum producentem, ideo etiam Christus ut homo, est Filius Dei naturalis.

Ad M. D. O. M. G. B. V. M.
S. L. O. C. H. O. N. O. R. E. M.

Corriget errores Typi benevolus Lector.



Handwritten text, mostly illegible due to fading and bleed-through from the reverse side of the page. Some words like "Lecturas" and "Biblioteka" are visible in the lower portion of the text.

266



ABMD... S.L.O...

Copyrighted by the Lithuanian Library

